



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas II. An veritas in Cognoscendo sit etiam formale Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

ret verax in cognoscendo, infertque exinde veritatem Dei in dicendo, non posse ferri extra id quod est verum in re. Sicut actus prosecutionis non potest ferri extra id quod est bonum.

Quare licet per impossibile Deus cognoscat rem aliter quam est, & velit illam revelare, non posset id facere; quemadmodum si per impossibile existimaret chimeram esse possibilem, nihilominus non posset illam producere; quia est extra objectum adæquatum omnipotentia illius; ita ex proportionem, nec posset dicere falsum, quia falsum est extra objectum adæquatum veritatis in dicendo. Unde per illum veritas in dicendo, est veritas prout determinata, dicere, non nisi ut est in re.

DICENDUM EST. *Non rectè prædicto modo formari Conceptum veritatis primæ in dicendo.*

PROBATUR PRIMO. Quia sic sumpta veritas, & esset ut supponitur formaliter veritas in dicendo; hoc enim habet explicatio Rosm. & non esset, quia de Divinis conformiter formamus conceptus, seclusis imperfectionibus, ac de Creatis, ut ostendit Inductio, probatque ratio. Quia semper incipit nostra scientia à manifestioribus; manifestiora autem nobis sunt creata. Cumque id fieri debeat per discursum, debet assumi notius, quod est quid creatum, ut devinatur ad ignotius, quod est increatum. Porro veritas in dicendo in Creatis, non desumitur in ordine ad hoc, quòd verum in re dicat, sed quòd non mentiatur, seu quòd non dicat difformiter ad mentem. Ipsa item oppositio veridicitatis ad mentem, quod est contra mentem initio, ostendit quod veridicitas desumatur ex conformitate ad mentem. Unde quamvis aliquis dicat conformiter ad objectum, & non conformiter ad mentem, dicitur adhuc mentiri, licet non dicat falsum sed falso. Hæcque acceptio vocis est etiam inter Recentiores ex quibus Ripalda explicans quid sit veritas in dicendo disp. 2. Num. 8. ait: *Veritas in dicendo quâ Deo repugnat fallere, aliud nobis, quàm ipse iudicat, suadendo.*

PROBATUR SECUNDO. Tum quia illa veritas & diceret conformitatem cum rebus quâ veritas in dicendo est, & non diceret. Diceret quidem ut supponitur non diceret autem: quia quòd veritas in dicendo quâ talis dicat conformitatem cum rebus, ex nullo illius prædicato intrinseco habetur, cum salvari possit per præcisam conformitatem cum mente.

Tum quia Dictio illis competit, quæ supponuntur noscere intellectivè unde omnia bruta dicuntur muta, quamvis barbant, balent, glaucitent, quia in illis, non supponitur notitia Intellectiva. Ergo si illa veridictio est dictio, non poterit esse dictio, quin præsupponat ex conditione ipsius dictionis, notitiam seu mentem. Cur ergo dictio quâ talis, per ordinem ad res ita se habentes sumetur? Tum quia formale fidei, debet tale poni, quod sit secundum dignitatem

assensus certissimi. Unde si daretur aliqua pica vel psittacus, qui non posset fallere, seu falsum dicere; assensus propter verba illius non esset assensus secundum dignitatem assensus certissimi: & tamen talis non nisi veritas, ponitur à Rosmer, pro motivo fidei.

Quod autem dicit Rosmer, ad credendum Deo requiri locutionem, quæ sit expressio mentis loquentis, ad infallibilitatem tamen fidei non requiri, ut sit expressio mentis: quod inquam dicit. Non convincit. Quia si ad fidem non requiritur expressio mentis; Ergo ad fidem quâ talem sufficit certitudo, qualem adfert ille psittacus: quia ille etiam non posset nisi verum dicere, seculumque prædicato Deitatis, quæ præcise per illum non resolvit fidem: tale erit motivum fidei per Rosm. quale motivum esset garrulus ille psittaci.

PROBATUR TERTIO. Ideo talis veridicitas ponitur à Rosmer, ut sit sola resolutorium fidei; non potest autem esse: quia si quæretur, quare non nisi verum dicis? non tantum potest recurri ad ejus naturam; sed etiam, quia mens illo verbo expressa, conformatur etiam objecto. Ergo & poterit in hoc resolvi illa veridicitas. Ergo & resolveretur. Ad eum modum: quo, quia per rationem possum adferre cur homo sit risibilis: non tantum quia est risibilis, sed etiam quia est admirativus, fit ut admirativum, sit in quod, resolvitur ut risibile.

DIFFICULTAS II.

An veritas in Cognoscendo sit etiam formale Fidei?

DICENDUM EST. *Veritatem primam in cognoscendo ingredi etiam rationem formalem fidei.*

PROBATUR PRIMO communi argumento. Fides nostra debet esse summè infallibilis, & talis cui nullo modo subesse possit falsum, ut infra constabit. Ergo debet habere pro motivo formali summam veritatem, non solum in dicendo sed etiam in cognoscendo. Consequentia probatur. Quia non potest aliquis moveri ad fidem summè infallibilem, nisi ipsius testificanti Auctoritas quâ movetur, sit talis, ut sit impossibile illam falli & fallere: nam si alterutrum ex istis desit, adeoque si non posset quidem ipse decipere, posset tamen decipi, non immerito deceptio timeretur. Sed Dei Auctoritas falli non potest. Ergo ad illam spectare debet, etiam veritas in cognoscendo.

PROBATUR SECUNDO. Id ingreditur formale fidei, quod pro ratione credendi adferri potest. Sed veritas in cognoscendo pro ratione credendi adferri potest: quia si dicat mihi Deus: Crede; possum illi dicere quare? respondebit Deus: quia ego te non fallo, posset reponere Creatura, quamvis non velis me fallere, nescio an res ipsa ita se habeat, & tunc responderet Deus.

ita se habet, quia ego sum veritas prima in cognoscendo.

PROBATUR TERTIO. Si veritas prima in cognoscendo non ingrederetur formale fidei, possem dicenti Deo: Crede, hoc dicere: Nescis quid dicas, & tamen vis me credere; siquidem veritas illa in cognoscendo, non spectaret ad creditionem. Et tamen impium est dicere Deo: *Nescis quid dicas.*

OBJICIT PRIMO in contra Rosinct. Posita sola veritate in dicendo, ceteris omnibus per possibile vel impossibile ablati, habetur sufficiens fundamentum firmiter credendi: repugnaret enim Deo revelare id, quod falsum est.

RESPONDETUR. Ex dictis supra. Negando debere talem conceptum formari veritatis in dicendo. Sed illo etiam formato, nondum illa veridicitas ex dictis supra, erit ultimum resolutionis fidei, nec esset fundamentum, firmiter, secundum dignitatem assensus certissimi, credendi.

OBJICIT SECUNDO. Si haberet homo potentiam locutivam, ita alligatam ad verum, ut non posset loqui, nisi id quod est à parte rei verum, haberemus sufficiens fundamentum illi credendi, licet posset falli in cognoscendo.

RESPONDETUR. In casu antecedentis, non fore sufficiens fundamentum secundum dignitatem assensus certissimi credendi illi homini: loqueretur enim ut psittacus supra descriptus. Paritas etiam non tenet: quia nihil esset reperire in homine illo in linea veri, in quod resolveretur illa veridicitas. Sed solum resolveretur in principium extrinsecum: Deum determinantem. Jam autem illa veridicitas Divina, posset resolveri in verinoscivitatem. Cur non enim: si potest resolveri in verinoscivitatem, sola, non erit ultimum resolutionis fidei, de quo hic.

OBJICIT TERTIO. Licet Deus per impossibile non esset supremus Dominus, adhuc haberetur formale fidei: Ergo etiam haberetur, quamvis non esset infallibilis in cognoscendo.

RESPONDETUR disparitas est. Quia formale fidei in ratione veri seu causæ assentiendi, non potest resolveri in Dominum, & alias proprietates; potest autem veridicitas in linea veri, resolveri in Verinoscivitatem, inquirendo enim cur non tantum verè, sed etiam verum dicat Deus: potest respondere verè cognosco, & si non posset hoc respondere, esset alia veritas prima, & aliud Credo seu fides, ob mutationem formalis sui, quod est veritas prima.

OBJICIT QUARTO Veritas in dicendo dupliciter cogitari potest, formalis quæ includit veritatem non dicens aliter, quam sit in mente; & hæc potest consistere cum mendacio materiali. Et alia veritas in dicendo materialis, quæ ex se non potest inclinare nisi in id, quod est in re verum; & huic est per Accidens, sive sit in mente loquentis, taliter, qualiter enuntiatur, sive non; huicque veritati innuitur fides.

RESPONDETUR ex dictis. Non dari ullam materiale acceptionem veritatis in dicendo; & quamvis daretur non fore ultimum resolutionis fidei, in linea veri. Et certe quæro: An defacto non possit resolveri hæc veridicitas materialis in verinoscivitatem? Si non potest resolveri, cur non? cum de facto detur verinoscivitas in Deo. Si potest resolveri, resolveretur: ad eum modum; quo si resolveri potest risibile in admirativum, resolveretur hoc ipso, frustra que esset fingere risibile irresolubile. Ergo & in presenti idem dicendum.

OBJICITUR QUINTO. Locutionem Dei significare quidem conceptum infallibilem Dei; hoc tamen est per accidens, respectu infallibilitatis fidei; quia hæc infallibilitas maneret, licet Deus non foret per impossibile infallibilis, in cognoscendo.

RESPONDETUR. Non esse id per accidens ad infallibilitatem fidei in linea vera. Quia si locutio ipsa Divina quæ debet esse ultimum resolutionis, resolveretur in verinoscivitatem, etiam fides in eandem resolveretur. Et sicut illa locutio non maneret eadem, quæ nunc est, si nunc resolveretur in verinoscivitatem, & postea non resolveretur: sic nec fides esset eadem, si defineret resolveri in verinoscivitatem: ad eum modum, quo non maneret eadem risibilitas, si non resolveretur in admirativitatem.

DIFFICULTAS III.

An veritas in Essendo sit etiam formale fidei.

PRÆMITTENDA sunt aliqua, postea de ipso titulo discurrendum.

Punctum Difficultatis 1.

Explicatur Veritas prima in Essendo.

PRÆMITTO PRIMO. *Veritatem primam in essendo dupliciter spectari posse. In primis* sumendo illam pro veritate, quæ est attributum entis, & secundum quam Deus ut loquitur Ripalda dis. 2. n. 8. chymericæ Divinitati repugnat, & indubiè sic sumpta veritas prima in essendo, non est objectum formale fidei: quia ad assentiendum fidei Divina, non videtur quomodo pertineat, proprietates emanans, ex ipsa conditione Entis. *Secundo* potest sumi veritas prima in essendo, pro eo, quod Deus sit veritas per essentiam, pro eo quod est Deum esse radicem veritatis primæ in cognoscendo & dicendo; pro eo quod est illam esse quid primum & absolutum de linea & in linea veri. *Hinc.*

PRÆMITTO SECUNDO. *Quomodo explicari debeat veritas prima in essendo.*

EXPLICATUR PRIMO. Ille terminus quod scilicet veritas prima in essendo, sit veritas, quæ essentialiter sit Deus; ita ut Deo competat per essentiam, esse veritatem. Ea solum prædicata in creatis dicuntur esse essentialiter vel per essentiam,